

# DOCUMENTA GENERALIA, EX REGVLIS ARITHMETICÆ de minutjs physicalibus, pro usu harum tabularum necessaria præmittere.



**T**ANTO reuera digniorem primam causam iudicare debemus, quanto mirabilia ab ea dependentem naturam operari uideamus, teste philosopho in libro de cœlo, & mundo. Ex sui namq; operatione extrinseca eius excellentiam facile contemplamur. Voluit enim Deus gloriosus & sublimis, cuius nomen sit in æternum benedictum, & ultra, quicquid natura occulte operatur & intrinsece, per signa patefacere exteriora. Cœlo igitur tot fulgentia impinxit sydera, ut rationalis creatura ad diuinæ trinitatis exemplar facta in ipso cuncta futura legeret, atq; eo ordine uenientia intelligeret, quo ab æterno à diuina sunt prouidentia præuisa, quod ex nulla præiacente materia, omniq; corruptione expers in rerum naturam produxit, tot & stellis & motibus tam fixis quàm errabundis ornauit, ut ista suscitarent inferiora singula producendo, quæ sub mobili spheræ lunaris uertigine agitantur, nostræ deniq; ut forent ratiocinationis occasio.

Hinc Astrologicam scientiam sumpsisse exordium recte arbitramur. Sol enim atq; Luna omnium in hoc mundo uiuentium uita sunt post Deum, inquit Hermes ille antiquus aphorismo primo &c. Astrorum igitur sapientes cum hæc inferiora regi à superioribus intellexissent, iuxta illud Ptolemæi: Vultus huius seculi subiecti sunt uertibus cœlestibus, uerbo nono sui centiloquij mutationum causas huius elementaris regionis, ex superioribus attendi debere concluderunt, dicente Philosopho: Solus motus in obliquo circulo est causa generationis & corruptionis istorum inferiorum, & secundo physicorum: Homo generat hominem & Sol. Volentes autem discretius deuenire in cognitionem causarum certiorum prædictorum, conditiones super cœlestium, & respectum quo ad nos & ad seipsa obseruare tenentur. Quare prisca philosophantes zodiacum primi mobilis tanquam spacium, sub quo cætera mouentur mobilia, in duodecim interstitia distinxerunt æqualia, ut rectius cuiuscunq; interstitio quodcunq; mobile, tempore quolibet subiaceret, comprehenderent, quæ duodecim signa appellarunt, eo quod uim signi haberent super elementis. Tales autem intercapedines cum essent maximæ partes prædicti zodiaci, quamlibet in 30. minores, & sic totum in 360. gradus subdiviserunt zodiacum, eò quod gradientium planetarum successiuo ordine ascensum uel descensum perceptibiliter, commonstrarunt. Cum itaq; uniuersitas partium in hoc numero compræhenderetur, essetq; ille numerus prope dies solares anni, tot sectiones intercapedines in circulo zodiaci assignarunt inquit Albumazar differentia 2. tractatus 2. Diuiserunt in super gradum quemlibet in 60. particulas, quas minuta uocabant, eo quod iam minutæ exiguæq; post gradus partes extabant. Pariformiter minutum quodq; in 60. secarunt æqualia, eaq; secunda uocarunt, eo quod iam secundo post ipsos gradus continuum secarent in partes subtiliores, nec à tali sexagenaria cessabant diuisione, donec quodcunq; secundum in 60. tertia, ac tertium quodlibet in 60. quarta, sic quartum in 60. quinta, quintumq; in 60. sexta, atq; sexta singula in 60. septima, septimum etiam quodlibet subdiviserunt in 60. octaua, & sic in infinitum & usq; in partes adeo minimas, quod oculis aspicientis penè iudicaret puncta indiuisibilia, & hoc ideo quatenus haberi possit determinatissimus punctus prædicti zodiaci, atq; ostendi sub quo centraliter sit quilibet planeta